



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 69. Congregatio Generalis ad proximam Sessionem prævia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sac. XVI.  
A.C. 1563.

nus suavit, ut die postero, qui postremo confessui præscriptus fuerat, nihil ea de re proponeretur, ne difficultates unius cum alterius operis difficultatibus conjungerentur, & ita fortasse haud superandæ redderentur: ideo monuit, ut sane cum ipsis, sicuti cum hostibus in bello ageretur, in quo, ut cuncti superentur, singulos aggredi opus est.

Placuit hoc consilium Legatis, moxque cuncta ad alterius diei conventum disponuntur, cui tamen Osius Cardinalis interesse haud poterat, cum tam pertinaci febre laboraret, ut etiam post celebratam Sessionem ab ea nondum expeditus timeret, ne per totam hyemem ab illa divexaretur, prout ipse ad Cardinalem Borromæum perferat.

§. LXIX.

*Generalis Congregatio ad Sessionem prævia.*

*Pallav. c. 8.*  
*n. 1. 2. & 3.* Die nona Novembris duo conventus duntaxat ab illis habebantur Præfulibus, qui ad perficiendos Canones selecti erant, ut cunctis Patribus, quantum fieri posset, satisfacerent: altera autem die decima ejusdem Mensis celebrata est Congregatio generalis pro habenda Sessione ad diem sequentem, quæ

Sæc. XVI.  
A.C. 1563.

quæ jam antea erat indicta. Ab hoc  
 conventu amplioris libertatis gratia ii  
 omnes exclusi sunt, qui nec suffragii  
 jus obtinebant, nec aderant tanquam  
 eorum procuratores, quibus suffra-  
 gandi potestas erat: ibi ergo præprimis  
 proponebantur Canones, & Decreta  
 de Matrimonio: verum non placuit Lo-  
 tharingio Cardinali, ut anathema dice-  
 retur in sexto adversus eos, qui matri-  
 monium non consummatum per profes-  
 sionem religiosam dissolvi negarent: in-  
 super non probavit, quod similiter in  
 nono vibraretur anathema in eum, qui  
 affirmat, quod possit contrahi matri-  
 monium a persona in sacris Ordinibus  
 constituta, aut a Religiosis professis,  
 non obstante seu lege Ecclesiastica, seu  
 voto: Lotharingius enim postula-  
 bat, ut vice *legis Ecclesiasticæ* scribere-  
 tur, *legis*, simpliciter: nec minus Car-  
 dinalis Madruccius idem reprobabat,  
 ac rejiciebat impedimentum, quod a  
 Synodo inducebatur, seu potius reno-  
 vabatur inter raptorem, & raptam,  
 antequam illa libertati fuisset restituta;  
 nec pariter eidem probabatur decre-  
 tum, quo matrimonia clandestina de-  
 clarabantur irrita. In his omnibus sen-  
 tentiis complures illum secuti sunt, ac  
 præcipue in postrema, circa quam  
 quadraginta sex Patres convenere, &  
 septem

Sæcul. XVI. septem animi sui declarationem Sessioni reseruarunt.  
A.C. 1563.

§. LXX.

*Canones, & Decreta proposita ac recepta.*

*Pallav. c. 8. n. 4. & 5.* Priusquam disciplinæ Decreta deliberationi subijciebantur, primus Legatorum dixit, quod complures senserint præponendam illis esse hanc particulam, *salva semper Apostolicæ Sedis auctoritate*; interim de aliis edixit, quod prudenter cogitaverint, opportunius esse post emendationis totius leges eam apponi: cum enim hæc ætate Pauli III. in principio posita legeretur, foret consentaneum rationi, ut eadem in fine responderet: itaque collectis hanc in rem sententiis, tres supra centum de hoc consenserant: postea vero in Sessione denuo rogati Synodi Patres unaomnes declarabant, hanc clausulam nonnisi in fine esse apponendam. Propositis demum decretis solus Arrius Cagliagus Episcopus Gironensis sese opponendi animum præsetulit; ast a Morono Legato tam acriter reprehendebatur, ut plura addere non auderet: quapropter collectis omnium suffragiis unaomnes, contradicentibus paucissimis, levesque mutationes suggerentibus, decreta receperunt.

INDEX